

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

**XVI Kal. Apriles MDCCCCXI die nominali Pii X Pont. Max.**  
**Quaestiones apologeticae.** Num qui credit « rationabiliter » credat.  
**Selecta ex bibliothecis et archivis.** — De lectione atque interpretatione auctorum Linguae Latinae.

### Elegia.

**Archaeologicae res.** — De architectonica sepulralium apud Christianos anaglyptorum forma eiusdemque origine.  
**Litterae cl. v. Theodori T. Chave de accepto numismate ad eum a " Voce Urbis „, praemio missa.**  
**Ex Italis urbibus.** — De magno artium certamine insigniter Augustae Taurinorum indicto.  
**Acta Pontificia:** Motu proprio Sacerdotes Arnoldus Harris Mathew, Herbertus Ignatius Beale et Arthurus Gulielmus Howarth nominatio-

excommunicantur. — Apostolicae litterae de privilegio circa abstinentiam Scotiae regni fidelibus concesso.  
**Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae:** Ex Congregatione S. Officii. — Ex Congregatione de Religiosis.  
**Diarium Vaticanum.**  
**Colloquia Latina.** — Nox transacta.  
**Annales.** — Russorum inter ac Sinarum imperium disserimen. — Turcarum res.  
**Publici per orbem coetus legibus ferendis.**  
**Per orbem.**  
**Librorum recensio.**  
**Libri recens dono accepti.**  
**Aenigmata.**  
**Appendix:** Euplius.

XVI KAL. APRILES AN. MDCCCCXI

DIE NOMINALI

## PII X PONT. MAX.

Pange Iosepho (Pius audit, ex quo fungitur Christi vice, Petrus alter);  
 pange Iosepho, mea Musa, laeto  
 pectore carmen.

Martius primis decoravit agros  
 flosculis; hinc tu lege pulchrios,  
 ferque mitrato, pia vota fundens,  
 serta Parenti.

“ Floridus - dices - Tibi currat annus,  
 Pontifex, curis vacuus molestis;  
 qui diu felix redeat, beato  
 praevius aevo! „

Proh dolor! fragrans meus hic rosarum  
 ramulus spinas genuit cruentas:  
 vulnus inflixit Tibi gente natus  
 rhetor Hebraea.

Iste, vel sensu posito pudoris,  
 perfidi quum sit Caiphae propago,  
 hanc, ubi Petrus sedet imperatque,  
 dux regit Urbem.

Nec satis: nitri celebrans adusti  
 horridos bombos, petulante lingua,  
 ipsa quam carpsit Synagoga, risit  
 dogmata Christi.

Risit, irrisor simul ille legis,  
 Urbe quae capta Fidei Magistrum  
 dixerat tutum fore, sub novelli  
 aegide iuris.

Audiens tellus odiosa verba,  
 horruit; iudex tamen in procacem  
 nullus exarsit, nec adempta santi  
 sella curulis.

O fidem fractam! Capitoliumque  
 hostibus Christi Themidisque plenum!  
 qua Leo rugit stygius, vetusque  
 sibilat Anguis;

qua rudit flagris Asinus fricandus,  
 Setiger grunnit, chorus Anserumque  
 gingrit, et rostro sacra Vaticani  
 marmora mordet. <sup>(1)</sup>

(1) Consilio Capitolino, in tuenda re Romana minus certe vigili, quam olim anseres fuerunt, adscribitur, inter alios christiani nominis osores. editor « Asini », commentarii nempe periodici, qui impietate secat et spuretiis.

*Nunc tamen questus sileant, oborta  
luce Iosephi! gemitum Camena  
vertat in plausum, tenebraeque festo  
sole fugentur.*

*Qui necem Christo Pharisaeus olim  
intulit, vinclis it onustus Arcu  
sub triumphali; Titus adstat, acer  
Numinis ultor.*

*Nec Dei nostro breviatur aevo  
brachium vindex: parat heu! tremendas  
impiis poenas, cumulata vero  
praemia iustis.*

FRANC. XAV. REUSS.

## QUAESTIONES APOLOGETICAE

Num qui credit "rationabiliter", credit

Nostris hisce temporibus, penes catholicos apologetas controvertitur: utrum qui credunt, *caeco modo*, an *rationabili modo* credant; cui controversiae non eadem nec una solutio praebetur. Modernistarum mens (*Prop. 25<sup>a</sup> Syllabi Pii X*) exprimitur per verba: « Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum », dum quorumdam aliorum mens est « credere » minime actionem intellectus esse, quum credens in fidei actu dicat: « Credo quia amo, fides et amor synonyma sunt »; vel « credo ex quadam cordis intimo sensu »; vel « credendi motiva non ad ordinem intellectualem pertinent, eredit aliquis quia credere *vult*, quia cuiusdam regulae extra se existentis indigentiam experitur »; vel « credendi motiva dum valent pro corde, abscondita sunt intellectui, cor ipsum, non iam intellectus Deum sentit, atque in ipsa fide cordi non intellectui Deus se praebet sensibili modo » (1).

Alia ex parte, asserunt quidam « credere » ita esse intellectus actum, ut ipsem intelleximus, ad divinae revelationis *factum scientificum* et quidem *rigorose ostendendum* valeat (2). Dum alii e contra, Angelico praecoptore duce, (3) affirmant: « Ille qui credit habet sufficiens inductivum ad credendum; inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae, et, quod plus est, interiori instinetu Dei invitantis; unde non leviter credit. Tamen non habet sufficiens inductivum ad sciendum ».

Paucis abhinc diebus, iterum mota fuit eadem controversia an respectu *facti* revelationis rigorosa neconon scientifica demonstratio possibilis fiat, ac diversimode soluta; idest pro P. Lagae O. P. demonstratio recentita datur, pro P. Hugueny O. P. vero non datur (4).

(1) Cf. SCHWALM O. P. (*Revue Thomiste* 1896 p. 38 et seqq.): *L'acte de foi est-il raisonnable?* Ibi vocat taliter sentientes: *Chrétiens demi-sceptiques ou inédués, demi-croyants.* — (2) Cf. P. HUGUENY O. P. (*Revue Thomiste* 1909 p. 275 et seqq.): *L'évidence de crédibilité.* Ibi apologetae quidam comparantur euidam Avocat embarrassé criant d'autant plus fort à l'évidence, qu'il sent davantage l'insuffisance de sa plaidoirie. — (3) 2<sup>e</sup> p. q. 2. a. 9. ad 3. — (4) *Revue Thomiste* Juillet-Août-Sept.-Oct. 1910 — Mai-Juin 1909 — Nov.-Déc. 1910.

In favorem sententiae P. Hugueny militantes, duo a nobis praestanda erunt: ostenso nempe, in actu fidei demonstrationem rigorose scientificam non esse possibilem, contra Modernistas, aliosque subjectivismo adictos apparebit, actum fidei *rationabile esse*.

\* \* \*

Per Ecclesiae auctoritatem apparet, circa « factum » revelationis divinae demonstrationem rigorose scientificam non esse possibilem. Concilium enim Vaticanum (1) de huiusmodi demonstratione nullam mentionem facit; asserit solum revelationem divinam externis signis fieri posse credibilem et « divinam religionis christianaे originem » miraculis *rite* probari. Pius IX etiam, circa revelationis divinae factum, hisce verbis munus intellectus determinat (2): « Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, ut certo sibi constet, Deum esse locutum, ac eidem quemadmodum sapientissime docet Apostolus, *rationabile obsequium exhibeat* (*Rom. XIII, 1*) ».

Rursus, factum revelationis considerari potest *a) in se*, *b) in suis effectibus immediatis*, *c) in signis illud concomitantibus*, uti miracula et prophetiae sunt. Intellexus vero humanus nequit demonstrationem rigorose scientificam habere vel circa factum revelationis in se, vel circa illius effectus, vel circa signa eiusdem.

I. Non circa factum revelationis in se. Demonstratio enim rigorose scientifica quae metaphysica, vel mathematica, vel experimentalis est, tantam veritatis evidentiam parit, ut assensus intellectus non maneat amplius liber. Circa autem revelationis factum in se inspectum, neque respectu scriptorum vel prophetarum (3) quibus revelatio immediate facta est; neque respectu ceterorum credentium quibus revelationis factum mediate notum fit, evidentia illa est possibilis. Non respectu scriptorum et prophetarum, quia « de his quae

(1) 3 de fide 3. DENZ. 1659-1660. — (2) 1 e fide et ratione DENZ. 1498. — (3) « Prophetica revelatio se extendit... etiam ad res divinas, et quantum ad ea quae proponuntur omnibus credenda, quae pertinent ad fidem et quantum ad altiora mysteria... Omnia quae sunt necessaria ad instructionem fidelis populi, revelat prophetis: non tamen omnia omnibus, sed quaedam uni, quaedam aliis ». (S. Th. 2-2<sup>e</sup> Prol. q. 171 a. 4. ad 1). Possumus propterea revelationi applicare, ea quae de *Prophetia* Angelicus docet.

expresse per spiritum prophetiae propheta cognoscit, maximam certitudinem habet, et pro certo habet, quod haec sunt divinitus sibi revelata » tamen « ad ea quae cognoscit per instinctum sic se habet, ut non plene discernere possit, utrum haec cogitaverit aliquo divino instinctu, vel per spiritum proprium ». Rursus: « Principium eorum quae divino lumine prophetice manifestantur, est ipsa veritas prima, quam prophetae in seipsa non vident ». Denique « per prophetiam non cognoscitur in seipso principium prophetatum cognitorum, quod est Deus »; et « in revelatione prophetica movetur mens prophetae a Spiritu Sancto, sicut instrumentum deficiens... ad aliquid apprehendendum... ad aliquid loquendum... ad aliquid faciendum... Et quodlibet horum contingit esse cum aliquo cognitionis defectu... Quandoque movetur mens prophetae ad aliquid loquendum, ita quod intelligat id quod per haec verba Spiritus sanctus intendit... Quandoque autem ille cuius mens movetur ad aliqua verba depromenda, non intelligit quid Spiritus sanctus per haec verba intendat... Etiam veri prophetae non omnia cognoscunt quae in eorum visis aut verbis, aut etiam factis Spiritus sanctus intendit ». Mens ideo S. Thomae est, (1) quod in rerum fidei revelatione, propheta « non semper plene discernit, non videt veritatem primam et principium revelans in se; in motione ad loquendum defectus cognitionis habetur, aliquando non intelligit, non omnia cognoscit ». Quomodo cum omnibus hisce evidencia ita firma conciliari potest capax vincendi intellectum ?

Neque respectu aliorum, qui post prophetas credunt, possibilis est eadem evidencia. Etenim factum revelationis a) proponitur omnibus communiter credendum, b) proponitur credendum per Sanctorum vel Auctoritatis competentis rationes; c) est factum vere creditum. Modo, ut Angelici (2) verbis utamur: « Id quod communiter omnibus proponitur hominibus ut credendum, est communiter non scitum ». Rursus: « Rationes quae inducuntur a Sanctis ad probandum ea quae sunt fidei, non sunt demonstrativa, sed persuasiones quaedam manifestantes non esse impossibile quod in fidei propontur: vel procedunt ex principiis fidei, scilicet ex auctoritatibus sacrae Scripturae... Ex his autem principiis... probatur aliquid apud fideles... Rationes quae inducuntur ad auctoritatem fidei, non sunt demonstrativaes, quae in visionem intelligibilem intellectum humanum reducere possint ». Denique: « Scitum est visum, et creditum est non visum » et « ille qui credit habet sufficiens inductivum ad credendum... tamen non habet sufficiens inductivum ad sciendum ».

II. Non circa effectus immediatos facti revelationis, possibilis est demonstratio rigorose scientifica. Effectus immediati huiusmodi nonnisi visiones quaedam sensibles, vel imaginariae, vel intellectuales sunt. Iamvero,

prouti recte P. Hugueny (1) animadvertisit, phaenomena ista, uti visiones sensibles, imaginariae, intellectuales, neconon novarum idearum excitamentum, novaeque verborum conceptuumque compositiones, quibus revelatio exterior fit, res psychologicae atque sensibles sunt, quae licet extraordinariae, nequeunt tamen, infallibili modo ac necessario, Dei auctoris supernaturalis interventum ostendere. E. g. B. Virgo Maria, quum ei Angelus apparuit, evidentiam habuit Angelum Gabrielem ei nomine Dei loqui, non iam propter externae apparitionis phaenomena, sed ex prophetico quodam lumine; immo in casibus quibusdam apparitiones, quae Angelorum apparitiones putabantur, nonnisi naturae vel diaboli illusiones fuerunt. Propterea effectus immediati facti revelationis nequeunt demonstrationem rigorose scientificam facti eiusdem humano praebere intellectui.

III. Neque circa signa factum revelationis concomitantia, quaeque miracula ac prophetiae sunt, demonstratione rigorose scientifica, intellectus pollet humanus. Siquidem necessarium foret, duo menti humanae clare evidenterque apparere: 1<sup>o</sup> opera miraculosa nonnisi Deo tribui posse; 2<sup>o</sup> nonnisi Deo pariter ipsam esse tribuendam prophetiam. Neque unum, neque alterum clare evidenterque appetat; non primum, quia S. Augustinus (2) scribit: « Intelligamus quaedam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt... faciunt magi qualia nonnunquam sancti faciunt ». Nonne Apostolus (3) ait: « Cuius est adventus secundum operationem satanae, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus ? ». Nonne Pontifex Benedictus XIV scribit (4): « Pleraque (miracula) quae in sacris scripturis facta videmus, non sunt excedentia vim et facultatem angeli ? ». Hinc merito Salmanticenses (5) aiunt: « Licet miraculum in se verum sit, nihilominus non semper appetat verum, quia facile non est discernere verum a falso, quum fiant plurima prodigia vel arte daemonis, vel virtute causarum naturalium latentium, quae vix discerni valent a veris miraculis... Etiam supposita evidenti cognitione veri miraculi adhuc potest relinquere dubietas circa finem propter quod fit, an ad confirmandam aliquam doctrinam, an ad manifestandam alicuius sanctitatem, an ob solam utilitatem in eo miraculo inventam, an denique ob alias fines nobis occultos ». Non appetat secundum, quia iuxta S. Thomam (6): « Ipsa revelatio facta per daemones potest secundum quid dici prophetia... Et ipsa doctrina daemonum, qua suos prophetas instruunt, aliqua vera continet, per quae receptibilis redditur... Prophetae daemonum non semper loquuntur ex daemonum revelatione, sed interdum ex inspira-

(1) Revue Thomiste 1. c. p. 290. Cf. S. Th. 2-2<sup>ae</sup> 173. 3: « Revelatio fit secundum quatuor; scilicet secundum influxum intelligibilis luminis, secundum immissionem intelligibilium specierum, secundum impressionem vel ordinacionem imaginabilium formarum, et secundum expressionem formarum sensibilium ». (2) De diversis quaest. 83 q. 79, 3 M. 40, 92. — (3) II Thessal. 11, 9. — (4) De canonizatione et beatif. servorum Dei 1. iv c. 7. — (5) De fide disp. 2. dub. 3. p. 61 v. 11. — (6) 2-2<sup>ae</sup> 172, a. 5, et 6, in corpore ad 1, 2, et 3.

(1) 2-2<sup>ae</sup> 171, a. 5, Ib, a. 4 in corp. et ad 3. Ib. 173, a. 4. — (2) 2-2<sup>ae</sup> 1. 5. in corp. et ad 2, et ad 4.; q. 2, a. 9. ad 3.

tione divina... quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Unde et per prophetas daemonum aliqua vera praenuntiant... ut credibilior fiat veritas... Quando prophetae daemonum a daemonibus instruuntur, aliqua vera praedicunt: quandoque quidem virtute propriae naturae, cuius auctor est Spiritus sanctus, quandoque etiam revelatione bonorum spirituum... Et sic etiam illud verum quod daemones enuntiant a Spiritu sancto est... Propheta falsitatis non semper instruit a spiritu falsitatis, sed quandoque etiam inspiratur a spiritu veritatis. Ipse etiam spiritus falsitatis quandoque enuntiat vera... Per virtutem propriae naturae (daemones) quandoque vera praenuntiant ».

\* \* \*

Mirabilia omnia, Apologetae quidam obiiciunt, quae saeculorum decursu in Christi Ecclesia visa fuere continuoque videmus; ipsamet rursus vitae Christi mirabilia tantae evidentiae sunt, ut mentem humanam ad credendum cogere valeant, utque ex mirabilibus hisce veram demonstrationem ipsa desumat; ideo creditis intellectus circa fidem demonstratione rigorose scientifica pollet.

Respondemus 1<sup>o</sup>. Demonstrationem, quae ex Ecclesiae et Christi mirabilibus ab Apologetis desumitur, nonnisi demonstrationem quamdam indirectam esse. Valor autem indirectae demonstrationis a Card. Zigliara (1) sub hisce verbis traditur: « Demonstratio directa (quae et ostensiva dicitur) potior est, quia manifestat menti nostrae rem in se, in qua videmus eius veritatem: indirecta autem non praebet visionem veritatis rei in seipsa, quamvis excludat errandi formidinem vi absurdi illati: et ideo non totaliter quietat intellectum, qui ad rei visionem aspirat ». In hac indirecta demonstratione evidentiam, necessario intellectum nostrum vincentem, deficere necesse est. — 2<sup>o</sup> Miracula adserita neque omnibus evidencia sunt neque eadem legentes, statim ad supernaturalem Dei interventum assurgunt, quinimmo naturali modo ea explicare conantur. — 3<sup>o</sup>. Mirabilia Iesu Christi, quamvis in Evangelii relata, nonnisi moralis certitudinis causa sunt.

\* \* \*

Contra tamen subiectivistas nonnullos, necnon contra Modernistas, asserendum est, credentes rationabiliter credere, ac veritatibus fidei rationabile praebere obsequium: « Quis enim ignorat, - ait Pius IX (2) - aut ignorare potest,... nihil rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli, nec fallere potest, revelata esse constiterit? » Concilium rursus Vaticanum (3) vocat « fidei nostrae obsequium rationi consentaneum » per « divinae revelationis signa... certissima et omnium intelligentiae accommodata ». Neque rationis momenta

deficiunt. Siquidem rationabile est pro humana mente, veritati in se non visae adsensum praebere, quoties veritas huiusmodi a) proponitur a persona quae nos fallere nequit; b) confirmatur per media obiectiva quae veritatem ipsam evidenter credibile reddit. Modo qui credit, praebet adsensum a) veritatibus propositis a Deo, qui nec falli nec nos fallere potest; b) veritatibus per media obiectiva confirmatis, quae easdem veritates evidenter credibiles reddit, ut per miracula neonon prophetias fit. Aliis verbis duplex veritatis genus distinguitur penes theologos, videlicet 1<sup>o</sup>, veritas evidenter vera; 2<sup>o</sup>, veritas evidenter credibilis. Prima videtur in se vel in suis principiis: secunda neque in se neque in suis principiis videtur; tamen tot tamque gravibus testimonii confirmata est ut « quilibet vir sapiens merito eam credere debeat (1) » rationabiliterque credit. Tales sunt fidei veritates, propter quod qui eas credit, rationabiliter, non caeco modo credit.

Neque dicatur, ut vulgo saepe audimus: 1<sup>o</sup> « Stultum est credere quod non videtur, nec sunt credenda quae non videntur »; 2<sup>o</sup> « Miracula (quae veritatem evidenter credibile reddit) nullus vedit fieri ». Prima enim difficultati, primo S. Augustinus respondet, primae simulque secundae S. Thomas. — S. Augustinus (2): « Quam innumerabilia crederem quae non viderem, neque quum gererentur adfuisse; sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque urbibus quae non videram, tam multa amieis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis; quae nisi crederentur omnino in hac vita nihil ageremus; postremo, quam inconcusse fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem ». S. Thomas (3): « Si homo, posset perfecte per se cognoscere omnia visibilia et invisibilia, stultum esset credere quae non videmus; sed cognitio nostra est adeo debilis quod nullus philosophus potuit unquam perfecte investigare naturam unius muscae: unde legitur quod unus philosophus fuit triginta annis in solitudine, ut cognosceret naturam apis. Si ergo intellectus noster est ita debilis, nonne stultum est nolle credere de Deo, nisi illa tantum quae homo potest cognoscere per se? Et ideo contra hoc dicitur (Iob, xxxvi, 26): Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram... Tertio responderi potest, quia si homo nollet credere nisi ea quae certe cognosceret, non posset vivere in hoc mundo. Quomodo enim posset scire quod talis esset pater suus? Et ideo est necesse quod homo credat alicui de iis quae perfecte non potest scire per se. Sed nulli est credendum sicut Deo ita recte, et ideo illi qui non credunt dictis fidei non sunt sapientes, sed stulti et superbi... Potest etiam responderi, quia Deus probat quod ea quae docet fides, sunt vera. Si enim rex mitteret litteras cum sigillo suo signatas, nullus auderet dicere quod illae litterae non processissent de

(1) *Summa Philos.* Vol. I l. 3. c. 4. a. 2. n. 9. Cf. HUGUENY l. c. p. 295.  
(2) *Loc. cit.* DENZ. 1498. — (3) *Sess. 3. c. 3. de fide* DENZ. 1639.

(1) Cf. BELLARMINUS *De Controv. Christ. fidei* t. 2, 1<sup>a</sup> *Controv. gen.* I. 4. c. 4. — (2) *Confess.* I. 6, c. 5. M. 32, 722. — (3) *Opusc.*, vii. (Vives 27) c. 1,

regis voluntate. Constat autem quod omnia quae sancti crediderunt et tradiderunt nobis de fide Christi signata sunt sigillo Dei: quod sigillum est illa opera quae nulla creatura facere potest: et haec sunt miracula, quibus Christus confirmavit dicta Apostolorum et sanctorum ».

Contra secundam difficultatem haec idem Angelicus: « Constat quod totus mundus colebat idola, et fidem Christi persequebatur, sicut Imperatorum et Regum historiae tradunt; sed modo omnes conversi sunt ad Christum, sapientes et magnates, per praedicationem pauperum et paucorum praedicantium Christum. Aut ergo hoc est miraculose factum, aut non. Si miraculose, habes propositum. Si non, dico quod non potuit esse maius miraculum quam quod mundus totus sine miraculis converteretur. Certius ergo credendum est his quae fidei sunt quam his quae videntur: quia scientia Dei nunquam fallitur, sed visus hominis aliquando decipitur ». (1) Tertullianus eadem scribit (2): « Adspice universas nationes de voragine erroris humani exinde emergentes ad Deum Creatorem, et ad Deum Christum; et si audes, nega prophetatum ».

\*\*\*

Concludamus propterea: a) Actum fidei rationabilem esse; b) credentes propter credibilitatis motiva quae veritates fidei *evidenter credibiles* reddunt, rationabiliter credere; c) merito a Pio X (*Syll. Prop. 25*) damnatum fuisse Modernistarum errorem « Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum ».

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS M. FEI O. P.

(1) DANTE (*Paradiso* 24, 106-8) canit: *Se il mondo si ricolse al Cristianesmo, - Diss' io, senza miracoli, quest'uno - E tal che gli altri non sono il centesimo*. — (2) *Advers. Marc.* I. 3. c. 20. M. 2, 378.

## SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

### De lectione atque interpretatione auctorum Linguae Latinae

Lectionem inter illa subsidia ponimus, quae perficiunt iter ad vetus Latium, quoniam quidquid elegantia Latini sermonis sinu suo complectitur, legendo optima et culta monumenta adsequimur. Cicero (*de Orat.*, III): « Omnis loquendi elegantia - inquit - quamquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis orationibus ac poetis ». Et Quintilianus (*lib. XII Inst.*): « Nobis copia cum iudicio paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus: id autem consequimur optima legendo »....

Legendi studium varium diversumque est, sive respicias ad diversa genera monumentorum, quae leguntur; sive ad diversam rationem ipsius lectionis: ipsa monumenta continent res et verba, ex quibus etiam

capi potest duplex fructus, quorum alter est rerum, alter verborum, de quo posteriori in praesenti sumus solliciti.

Lectio, quae ob verba suscipitur, iterum triplices est: vel legimus aliorum scripta, ut inde accipiamus verborum copiam, quae lectio dici potest « grammatica »; vel ut adsequamur orationis vim atque elegantiam, quae lectio est « stili purioris »; vel ut philologiam accuratius cognoscamus, quae lectio vocatur « philologica ». Integro hoc opere stilos purior nobis curae est, quam ob rem de secunda lectionis specie in primis disputabimus, ea autem praescripta lege, ut primam ab ea haud seiungamus, quum utraque arctius coniuncta, nec secunda primae auxilio atque ope carere queat.

\*\*\*

Primum igitur considerandum est quinam ex tam multis linguae auctoribus sint legendi; de quo et olim et hodie non eadem omnium fuit sententia. Quintilianus (*lib. x, c. 1*): « Quidam solos veteres legendos putant, neque in ulla aliis esse naturalem eloquentiam et robur viris dignum arbitrantur: alios recentes haec lascivia delitiaeque, et omnia ad voluntatem multitudinis imperitae composita delectant! »

Sunt illi varii generis et differunt primum ratione aetatis: dantur scriptores linguae latinae, quos vetus et recentior aetas tulit; qui ergo ex illis ad lectionem imitationem trahendi sint, nunc disquirendum est.

Controversia inter clarissimi ingenii viros agitata huius loci non est, num veteribus eruditis recentiores, an veteres recentioribus cedant. Namque de lingua veterum Romanorum disputamus, quorum auctores antiqui preferendi sunt recentioribus, quoniam illi fons sunt atque origo, ex qua hi omnia latina sua petierunt; consultius autem est ipsos fontes adire, quam sectari rivulos, et dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae, quod tritum nec a veritate alienum est proverbium. Nihilominus recentiores cum veteribus coniungendos esse existimamus, partim, ut cognoscamus, quomodo illi veteres sint imitati, et ex illorum exemplis discamus applicare et ad usum adferre, quae in ipsa latinitate profecimus; partim quia recentiores auctores viam ostendunt ad habitum de illis rebus dicendi, de quibus nostra aetate loquendum est, comparandum, quarum magna est copia, quae veteribus auctoribus fuerunt ineognitae. Ubi adolescentes ad solos vetustiores scriptores accedunt, discunt quidem de rebus bellicis, civilibus similibusque latine loqui; sed quando dicendum est de argumentis aliis, quae aevi nostri sunt propria, nesciunt quomodo eleganter quae cogitant sint exprimenda; sed tamen eiusmodi recentioris aevi scriptores eligamus, qui veteris latini ac puri sermones laude celebres imitati sunt, et illorum copiam, vim atque elegantiam expresserunt, quorum ingeniorum aetas et patrum et nostra ipsa ferax fuit.

\*\*\*

Sed in « argumentis » etiam inter scriptores est dissensum: alii sunt auctores orationum, alii epistoliarum,

(1) Add. lib. II, c. V.

alii historiarum, alii rerum philosophicarum, quae diversa argumenta faciunt, ut stilo quoque ac dicendi forma differant. Consultum est, quodvis horum scriptorum genus cognitum sibi reddere, ac rectum ordinem in evolvendis illis accurate servare; qui generatim in eo consistit, ut cum ad argumenta, tum dicendi genus advertamus animum, et prius versemur in libris historiarum, quam philosophiae; prius in libris epistolarum, quam orationum. Bene agit qui in latinitate studet proficere, si varii generis scriptores sibi reddit familiares, quoniam ex libris historicorum percipit nativas vocum significaciones; rhetorum metaphoricas et translatas; philosophorum stilum philosophicum. Characteres suas habent regiones, quibus circumscribuntur, et constitutis finium rationibus differunt, et verborum usu et elocutione alii ab aliis separantur: omne dicendi genus suo et proprio charactere definitur, a quo in multis dependet cultus Eorationis. tenim in charactere oratorio inest plus dignitatis et maior verborum delectus, nitorque dictionis requiritur, quam in philosophico, in quo est oratio simplex et subtilitati congruens, non copiosa admodum, neque ornata. Hoc modo pura oratio dicitur, quae propria est et veritate contenta, non laborat de copia et ubertate, nec suavitatis gratiam captat, sic tamen, ut vitii expers sit, et remota ab omni impuritate, quae sermonem vitiat et latinam loquendi munditatem corruptit.

\*\*

Accedit « dicendi genus », quo itidem auctores latinae linguae discrepant: alii utuntur sermone ligato, ut poetae; alii vero soluto. Poetae omnimo coniungendi sunt cum solutis scriptoribus; quoniam poesis latina multum facit ad culturam et conservationem ipsius linguae: poetae solliciti sunt de epithetis, quae congruant, de similibus et aptis descriptionibus, de veris synonymis, unde copia verborum, item de accentu. Quantum poetae contulerint ad linguam hanc conservandam, patet ex historiarum monimentis: ab Ennii temporibus poetae primi fuerunt, qui latinitatis cultum suscepserunt, saltem tentarunt; quumque soluta oratio amitteret suam auctoritatem dignitatemque, poesis restitit barbarie.....

Praeter haec lectio poetarum alumnis latinae linguae vel ideo necessaria est, ut rationem latinitatis poeticae curatius perspiciant, et id quod bonum sit, ad suum usum adferant, malum autem fugiant: is autem cum fructu legere potest ligata monimenta, qui in latinitatis studiis iam eas progressiones fecit, ut valeat facultate discernendi ac iudicandi, quid sit elegans ac horridum, quid castum purumque ac barbarum.....

Verum quum character poeticus a soluta oratione maxime differat, maturo debet reservari ingenio: nemini est facultas utendi omnibus verbis in classem poetarum descriptis, quae latina quidem sunt, sed prosae dignitatem non semper tuentur. Sunt locutiones, quae in prosa nitore aliquo minus dignae sunt; in ligata vero fulgent, veluti propriae poetarum et lumina carminum; ipsi poetae propter diversas dicendi rationes et formas distinguendi et alii aliis praferendi sunt, ac interdum granditatis quoque causa imitandi.

\*\*\*

Denique in latinae linguae auctoribus deprehendimus « diversitatem stili », qui est modo circumductus, modo concisus aut mediocre. Item alii utuntur charactere sublimi ac magnifico; alii humili, aut eo, qui inter utrumque priorem medium tenet rationem. Huius quoque discriminis ratio habenda est in perlegendis veterum monimentis: quumque characteres circumductus, mediocre et concisus multum dependent ex indole ingenii auctorum, nec quodlibet ingenium ad hoc, vel illud scribendi genus aptum, necesse est, ut hec ad captum nostrum monimenta veterum admodemus: quamquam ingenii haud maturioribus hec aliquid dandum est, quibus sufficit, vim et copiam sermonis perceperisse; confirmati vero atque exercitati primo latinae linguae studio animum quoque ad characteres hos convertere debent.

In altero stili discrimine id observandum, ut primum iuvenibus scriptores stili humilis, deinde mediocre, tum sublimis prälegamus. Summa stili virtus continetur in castitate. Linguae fata sua habent, id est per aliud tempus coluntur, et sunt nobilissima pectora, quae castitatem earum custodiunt; per aliud vero exulant quasi, nec quisquam est qui consulat illarum elegantiae ac nitori, ut ista sarta tectaque conservetur. Quo fit ut barbarae saepe dictiones invehantur, et ipse dicendi mos, cuius elegantiae nullam operam dant, ita corrumpatur, ut loquentes inter barbaras gentes educati videantur. Quum eadem fata subierit Romanorum lingua, necesse fuit auctores in classes et ordines dividere, ut pateat quantum quisque in probanda latinitate valeat; proinde quoniam scriptorum Romanorum alii scripserunt pure, alii vitiarunt immunditie sermonem suum, decet prudentem tersioris stili Romani cultorem duces optimos sectari, quos praecipue aetas aurea atque argentea tulit. Quodsi solos auctores saeculi aurei sequi vellemus, latinitas sane angustis circumscripta esset limitibus; nec lumen in aetate argentea erat extinctum, quo floruerunt viri suo dicendi genere atque eleganti linguae usu clarissimi. Sed qui adolescentibus commendant monimenta eo tempore edita, quo latinus sermo remisit de pristino vigore atque elegantia, immo ipsa latinitas penitus cecidit, minus rebus scholasticis prospiciunt.

Alia est illorum ratio, qui ita in his studiis profererunt, ut sibi ipsis possint consulere, ac facultate bona a malis discernendis sint praediti. Hi ubi operam dant philologiae Romanae, in his monimentis, licet sint barbara atque horrida, evolvendis versantur, ut videant quo misero casu ceciderit latinitas, ac quid de pristina pulchritudine sensim amiserit; sed illorum magistrorum temeraria et noxia docendi ratio reiicienda, ac veluti pestis scholarum fugienda est, qui promiscue auctores, sive puri sint atque elegantes, sive minus adolescentibus explicant.

Quum Tiberius vocem non satis latinam vellet usurpare, intercessit Marcellus, et: « Tu - dixit - Caesar, civitatem dare potes hominibus, verbis non potes ». Adriano, de Romana lingua reformanda cogitanti, Favonius grammaticus cessit quidem, sed ita, ut testa-

retur non iure quidquam nova moliri in sermone latino, sed vim ei inferre... (1) Tanta olim puri atque incorrupti sermonis cura fuit!

Io. GE. WALCHIUS.

(1) SPARTANUS in *Vita Adriani*, c. xv.

## ELEGIA<sup>(1)</sup>

*Exsultans animis pravaque cupidine ductus  
Impius accumulet crimina criminibus.  
Ast illum horrendum densa inter nubila fulgur  
Accensum flammis sternere iam properat.  
Dum Catilina parat flammis consumere sacram  
Arcem, urbemque audet perdere Martis opus;  
Dum gladios acuit regni malesuada cupido  
Quo Tibris fluaret sanguinolentus aquis,  
Detegit insidias consul belloque cruento  
Prostratus patriae proditor occubuit.  
Clodius ille deum spretor legumque peremptor  
Saevit, nulla hominum vis cohibere potest.  
Terribili at splendet ferro iam dextra Milonis,  
Corruit et patriae pestis et opprobrium.  
Ecce Iugurtha audax regno sceptroque potitus  
Progreditur spoliis quae tulit ante tumens;  
Sanguineae ast umbrae fratrum quos perdidit ille  
Tradidit et turpi proditione neci,  
Ceu fera spectra agitant meditantem crimina, fraudes,  
Dum partae praedae complacet ille sibi.  
Devictum Marius Capitolia ad alta Iugurtham  
Dicit et infestum scinditur ense caput.  
Namque superveniet sera aut cila poena scelesto  
Quae nunquam illius tergora deseruit.  
Ac veluti cerva inclusam venator anhelus  
Quam forte immissis retibus inseguitur,  
Infelix tandem volucri percussa sagitta  
Occumbens mordet sanguinolenta solum,  
Impius haud aliter meruit quas crimine poenas  
Persolvit tandem suppliciumque subit.  
Nec patitur Caeli regnator tempore multo  
Implicitam vitiis vivere progeniem.*

M. GALDI.

(1) Cf. HORAT. lib. III, od. 2:

« Raro antecedentem scelestum  
Deseruit pede Poena clando ».

Hinc mea qualiscumque elegia originem repetit.

## Archaeologicae res

### De architectonica sepulcrorum apud Christianos anaglyptorum forma eiusdemque origine (1).

Ut cuilibet monumenta vel leviter intuenti patet, sarcophagorum Christianorum forma, ante pacem Ecclesiae, haud multum, et aliquando minime, differt ab ea quam ethnici sarcophagi praebent: externa capsae superficies, quoad anaglyptorum ordinationem, ita plerumque dividitur et componitur, ut, praeter ac super principalem altitudineque maiorem sculpturarum seriem, zona seu fascia quaedam oblonga, quam Atticam vocant, figuris minoribus et ipsa exornata, iuxta oras operculi currat.

Idem est de Postconstantinianis sarcophagis dicendum; sed decorandam superficiem dividendi modus in his varius fit, propter sollicitudinem quam artifices habent multas in angusto spatio res repraesentandi. Quum nempe sarcophagi essent interdum in effossis apud parietes loculamentis disponendi, latus illud quod oculis obiiciendum erat, tantummodo exculpebatur; tunc vero in Attica zona ampliabatur, ut duplex aliquatenus, non autem unicus sarcophagus saepe videretur.

Inscriptio aut in media Attica fascia, aut in sarcophago incidebatur medio, ubi clypeata, hoc est in orbiculato concavoque spatio dimidia, imago defuncti saepe cernebatur; quae etiam inter aulaeā seu vela apparens effingebatur nonnunquam.

Ceterum, perinde ac apud ethnicas areas, columnae, arcubus vel trabibus colligatae, sarcophagorum Christianorum faciem haud raro dividebant, et in eiusmodi quasi porticulis seu spatiolis disperita exstabant anaglyptica argumenta. Columnarum denique in locum arbores quandoque substituebantur, inter quarum frondes et ramos columbae volitantes aliaeve cum nidis aves pulchre erant insculptae.

Haec praecipua lineamenta generatim ubique perstiterunt; praesertim Romae, Ravennae atque in ceteris Italiae regionibus, neconon in Galliis, in Hispania, in Africa, in Asia; sed unaquaque regio aliquid proprium in illa sarcophagorum exhibet arte, sive circa operculi capsaeque formam, sive circa peculiares argumentorum repraesentatorum notas.

Sunt qui, in sculpturae apud priscos Christianos primordiis determinandis, plus quam satis est Orienti adscribant, et, ad proprias opiniones tuendas, tum naturam adhibitorum marmororum, tum rerum effictarum fontes et effingendi genus, quasi certissima testimonia allegent. De his, pro opportunitate, erit suo loco dicendum; tamen nonnulla hie et nunc animadvertere proderit.

Profecto, haud secus atque innumera alia, non secus praesertim ac metalla, frumenta, escaria et vestiaria


(1) Ex novissimo cl. auctoris opere, quod proxime proibit.

quaedam, ex exteris certum est undique regionibus, potissimeque interdum ex Orientalibus, marmora Romanam fuisse inventa. Graeca, ut videntur, vel Asiatica fuerunt ea quibus Christiani ad sua claudenda sepulcra sunt usi. Graecum etiam Romanorum plerumque sarcophagorum marmor esse invenitur.

Asiaticis denique, Graecis et Africanis marmoribus tempa domusque saepius, Romae et alibi in Italia, decorandi mos erat, ac nota sunt illa Horatii verba:

*Non trab s. Hymettiae  
Premunt columnas ultima recisas  
Africa . . . . (1)*

Sed ex marmorum sie in Italiam, aut in alias Occidentales regiones, transvectorum origine, originem quoque deducere huius proprii et specialis sculpturae generis, quo, in istis marmoribus exsculpentis, operarii Christiani ibidem enisi sunt praecellere, quantum futile sit et incertum quis non videt?



**Sepulcra viae Appiae antiquae apud aediculam "Quo Vadis?"**  
(Restitutio architecti CANINA).

Neque magis rem conficiunt qui ex arte Orientali structuram formamve Christianorum anaglyptorum ortam esse asserunt, eo quod Romae plures Asiatici sculptrores, a primo ad quartum usque saeculum, floruerint (2). Ex omnibus eisdem gentibus confluunt in Urbem artifices, ipsaque revera Romana ars nonnihil Graeca venustate est aucta; sed neque Graeca proinde omnino facta est, nec Etruscum indolem prorsus amisit. Proprium quid nempe semper illi fuit, quod ceteris mundi nationibus largita est. Si vero absonum est dicere ethnicae apud Romanos sculpturae artem quidquid industriae habuerit ab Orientali arte primitus et penitus accepisse, cur minus temerarium sit tale de Christiana in sepulcralibus sculptura affirmare?

(1) HOR. *Od. seu Carm. lib. II, 12, vv. 3-5.*

(2) Plures revera ex Oriente artifices in Italiam venerunt, quorum tres Flavium nomen habuere: Flavius Zeno, Flavius Chryseros et Flavius Andronicus, omnes ex Aphrodisia, e qua etiam Menestheus quidam et Attianus fuerunt. Cf. BRUNN H. *Geschichte der griechischen Künstler*, 2 Aufl: I, p. 400-402; *Bullettino della Comm. arch. comunale*, Roma, 1886, p. 322.

Nihilominus Ioseph Strzygowski, decem abhinc annis, sarcophagos, quorum anaglypta columnis ac porticibus distincta fuerint, Asiaticam habuisse seripit originem. Egregius nempe hic auctor intercolumnia tamquam locus, vel cellas quasdam reputat, et ubique capitula carduo potius quam acantho sunt ornata, interque illa et fastigium adest orbiculatum quoddam corpus intermedium, quo ipsum nititur fastigium, haec minime Romanum ingenium, sed Asiaticum omnino sapere contendit genus, cuius verissimum et absolutissimum tamquam exemplum eiusdem sarcophagi fragmentum, hodie in Berolinensi museo asservatum indicat. (1)

Verum enimvero quid, qualibet aetate, communius, quam porticus columnaeque sarcophagi anaglypta distinguentes? Neque dicendum intercolumnia veluti cellulas esse, seu aliquatenus tabernacula, ideoque Orientalis prorsus originis. Egregius Mendel satis demonstravit hic minime agi de cellulis, sed de plana superficie ornamentis divisa (2). Idem praeterea nobis persuadetur, eo quod huiusmodi divisiones quandoque arborum, vice columnarum, inductione obtinentur. Ceteroquin, etiamsi artifices vere intercolumnia illa quasi cellas effingere voluissent, Romae etiam in hoc quid novi? Antiquissima talis modi exempla, et in Urbe et in Occidentalibus provinciis, invenire haud difficile est. Nec mirum magis ibidem in capitulis, loco spinosi acanthi, cardum videre. Orbiculati aliunde, seu sphærici, illius adiuncti, quod inter capitella et fastigia interiectum nonnunquam deprehenditur, vetustiora Romae quam in Oriente specimina haberri possunt. Dum enim huiusce structurae anaglypta in Oriente inventa tertio plerumque, vel etiam, ut Berolinensis musei fragmentum (3), quarto assignantur saeculo et etiam quinto, quaedam, quae in Occidente fuerunt reperta, utique a peritissimis quibusque viris agnoscuntur saeculo secundo adscribenda.

Non ergo Occidentalium sarcophagorum cum Orientalibus sarcophagis similitudo, quasi quid decretorio modo enodet, tanti est facienda!

Potiusquam sic plurima per conjecturam congerant (4),

(1) I. STRZYGOWSKI, *Oriens oder Rom*, Leipzig, 1901, p. 40.

(2) MENDEL, *Le musée de Konia*, ap. *Bulletin de correspondance hellénique*, 1902, p. 232. — Mendel argumenta rem prorsus conficiunt ac plebisque probabant; nihilominus hanc aut illam rationem Strzygowskianae sententiae vindicare adhuc conantur nonnulli, illi scilicet qui vulgo Orientalistae audiunt. Confer, exempli gratia, A. MUÑOZ, *Sarcophagi asiatici*, ap. *Nuovo Bull. di arch. crist.* Roma, 1905, p. 79-102, et 1907, p. 301-310.

(3) Fragmentum hoc quarto generatim saeculo tribuitur; Reinach unus illud ad tertium spectare saeculum contendit (*Le sarcophage de Sidamara, Monuments Piot*, 1902). Alioquin alii non desunt qui saeculo quinto vel etiam sexto illud adscribant.

(4) Ad initium saeculi tertii pertinet Alexandri Severi eiusque matris Mammeae sarcophagus, qui in museo Capitolino asservatur; ad secundum vero referunt quidam sarcophagus nunc Florentiae in palatio Riccardi expositus, et quoddam sarcophagi fragmentum, quod in museo Vaticano conspicitur (W. AMELUNG, *Die Sculpturen des Vaticanischen Museums*, I, p. 524).

(5) Cf. *Nuovo Bull.* 1905, p. 79-102.

archaeologi illi qui, Strzygowski sententiam secuti, sarcophagorum spatiolis inter columnellas seu, ut aiunt, cellulis tantum momenti tribuunt, undenam et in Orientalibus anaglyptis cellularum illius speciei usus depromptus fuerit, saltem exquirere et explicare debent. Porro,



**Iunii Bassi sarcophagus in cryptis Vaticanis asservatus.**

si mihi quid sentiam exprimere liceat, morem illum e Romanorum aliquorum sepulcrorum forma profluisse libenter dicam. Revera enim, licet paucissimae, apud Romae suburbia, nobis integrae maneant aedes funerariae, primitam tamen monumentorum, quae iuxta vias consulares sita erant, formam e nudis ruderibus haud raro deprehendere fas est; nec quisquam negabit genus ibi quoddam exstisset sepulcrorum, quae cellulis, sive parvulis absidibus, ita exterius munita erant, ut eorum imaginem aliquatenus sarcophagi nostri redderent: sie, exempli gratia, sepulcrum quod Priscillae vocant, quodque in dextero viae Appiae latere contra ecclesiam *Quo Vadis?* vulgo appellatam, surgit; sic et aliud in sinistra parte eiusdem viae, paullo ulterius. Hic parvae absides seu concavae cellulæ evidentissime apparent; monumenta vero ambo ad primum saeculum spectant. Curnam igitur, tali in nonnullis circum circa sepulcris absidum seu cellularum serie conspecta, sculptores, in sarcophagorum quoque anaglyptis elaborandis, aliquam cellularum absidumve minutarum seriem adhibendam interdum non excogitarunt?

Christiani artifices, qui quidem ante pacem Ecclesiae, ut animadvertisimus, in anaglyptis exsculpentis mere profana et indifferentia, ruralia scilicet marinave argumenta, potissimum usurpaverant, pace denique stabilita, ipsas biblicas historias, iam subterraneis in sepulcris depingi solitas, in sarcophagis sub dio et apud basilicas expositis effingere cooperunt. Si vero qualis

fuerit, quod attinet ad industrias exsecutio operis inspicere velimus, notandum est talia non infabre et quasi praepropere, ut in hypogeorum picturis plerumque, sed exquisitissimo scalpro, itemque cum diurna accuratisimaque sedulitate, fuisse confecta. Quantam autem eiusmodi ars cum pulcherrima Graeca Romana Antoninorum aetatis arte habeat congruentiam, exempla tabulis relata aperte satis demonstrant. Immo notandum est ipsis ethnicis eiusdem temporis sculptilibus Christiana anaglypta venustate longe praeminere. Qui hoc sibi prorsus compertum fieri cupit, sarcophagorum nostrorum imagines cum pluribus Constantiniani arcus ectypis imaginibus solummodo conferat.

Haec tamen praestantia parum duravit; nam post medium quartum saeculum, simul cum perfectione formae, quaelibet in disponendis ac rite inter se ordinandis anaglyptorum argumentis peritia pessum ivit ita, ut plerosque opifex nec iam artis regulis attendisse, nec amplius symbolicarum representationum sensum deprehendisse, libenter dixerim.

P. XYSTUS SCAGLIA O. C. R.

**Litterae cl. v. Theodori T. Chave de accepto numismate ad eum a "Voce Urbis", praemio misso.**

*Ad Societatem Editricem Romanam.*

*Viri honestissimi,*

*Numisma argenteum, quod mihi iudices ob commentationes in "Voce Urbis", anno MCMX publicatas tribuerunt, hodierno die, qui erat a. d. XII kal. Mart., in manus meas rite pervenisse scitote, cuius in rei testimonium hasce acceptilationis litteras statim remisi.*

*Interim ac semper vester et "Vocis Urbis", totus usque persevero.*

Chicagine, 6544 Washington Avenue

THEODORUS T. CHAVE.

B. A. (Colo).

## EX ITALIS URBIBUS

**De magno artium certamine  
insigniter Augustae Taurinorum indicto**

Quamquam forte me nunc rem actam agere incusas, nolo tamen tibi, candide lector, silentio praeterire quid Taurinenses, abhinc iam aliquot menses, ampla artificum contentione ingeniorumque gerere nituntur. Et si in dies mens mihi optime cedat, fusius me de cunctis singulisque rebus scripturum esse promitto.

Constat enim apud omnes, hanc Subalpinorum civitatem iamdiu publice pro viribus contendere, ut mox

possit cum ceteris gentibus vel de bonis artibus, commerciis inventisque certare. Hinc factum est ut praesens Taurinensium certamen, insignem quoque inter exterbas nationes contentionem excitaverit.

Quomodo vero Subalpini praesumunt hoc novum sumere bellum? Valebunt illud sustinere vires humerique? Nunquam antea profecto Subalpinorum expoliacion tam insigniter prospectum fuit, quam istis proximis labentibus annis, ita tamen, ut nostri olim homines, propulsandis belli periculis unice intenti, positis militaribus rebus, mansuetiores artes quam militaria studia malint.

Haud equidem nesciunt pueros cum gigantibus contendere; multi tamen hominum voluntatem maximis laudibus extollent, omnes generosiora conamina.

Hinc iuvat confidere, quotquot mox Augustam Taurinorum pervenerint, grande artium certamen invisuri, iudicare posse ac profiteri cives nostros non minus quam bello, pacis artibus claros aliquando futuros. Quod maxime laudandum mihi esse videtur, non modo Italos ad hoc gloriae luctamen Augustam nostram, propositis praemiis allexisse, sed quotquot sunt Europae gentes, artibus novisque iuventis clariores, ut in contentionem cum Italis intenderent.

Ac propterea si primum nostris res ipsa nova optime placuit, mox timor exitus omnes incessit, animosque ancipites reddidit, et demum, ob nimiam hisce praesertim temporibus harum rerum consuetudinem, mediis in conatibus spem prope interrupti.

Postea vero, ut saepe fit apud mortales, admittentibus iterum intelligentioris ingenii viris, quibus res omnis concredita fuerat, quibusque mos semper fuit manus ad rem tenaciter admovere, eamque ad finem usque perducere, spiritus resumere, nutantibus robur ac constantiam imponere, currentibusque calcaria addere, ut omni interposita mora, rem universam absoluturos esse confidant.

Tunc extemplo, unanimis opus adgrediuntur, eo tamen consilio ut alacres omnia apte conficiant atque profligent. Et tute videbis, quam pulcra, quam elegans, deliciisque affluens, hinc inde secus Eridani ripas nova conditur civitas. Quam apte Vergiliana carmina mutuaveris...

*Miratur molem... magalia quandam!  
Miratur portas, strepitumque et strata viarum...  
Instant ardentes... pars ducere muros  
Molirique arcem!*

Hic locus Italis designatur. Vide quot Mediolanensis ingenia! Vide, sis, Venetorum, Genuensium cognatus! Florentinorum! Illic Germania portendit sua inventa, illic Gallia atque Anglia. Quae rerum species, pulchritudo, qui ingenii vigor!

Sed quorsum haec? Iuvabit in primis tot rerum causam in medium referre, et cur hoc anno labente, et Augustae Taurinorum itemque Romae. Quamquam infandum moerorem nonnullis adferre possum, haud dicere recusabo.

Erat annus octingentesimus primus et sexagesimus supra millesimum, quum rerum Italicarum arbitrium obtinebat Camillus Bensus Comes a Caburro in Subalpinis. Hic ingenio audax, eloquentia praeditus, in subeundis periculis promptus atque valens, ut dominum se se rerum ferens, nihil prius sibi faciendum putavit, quam ut omnes Italiae regiones in spem novam adsurgerent, et citra omnium fidem, ad clamantibus insuper universae fere Italiae oratoribus popularibus Augustam Taurinorum adeitis, Romam regni caput solemniter indicere haud dubitavit.

Hinc memoriae rei gratia factum est ut Romae et in urbe Subalpinorum capite haec bina certamina indita sint.

Nec velim, candide lector, forte autumes nos huic rerum ordini undequaque accedere, et sine ulla exceptione oculisque clausis animo adhaerere. Rem historicus narro. Namque utrum recte omnia gesta sint necne, et ipsi gravissimi iudicii viri contrariam sententiam promere ausi sunt.

Nobis est sermo de artium certamine, minime vero de magna rerum eversione, quae ab illis difficillimis temporibus in Italicam gentem manavit.

SUBALPINUS.

## ACTA PONTIFICIA

### MOTU PROPRIO

**Sacerdotes Arnoldus Harris Matheu, Herbertus Ignatius Beale et Arthurus Guilelmus Howarth nominatim excommunicantur.**

Gravi iamdiu scandalo, maximi animi moerore, vobis esse novimus sacerdotes *Herbertum Ignatium Beale* et *Arthurum Guilelmum Howarth* e clero Nottinghamensi qui, quae sua sunt non quae Iesu Christi quaerentes et aestu ambitionis abrepti, postquam penes acatholicos homines Episcopatus honore augeri non semel pertentaverint, eo temeritatis novissime progressi sunt, ut, voti compotes facti, Episcopalem consecrationem se recepisse Nobis arroganter nunciarint. Nec eorum nuncii authenticum defuit testimonium; nam qui sacrilegi huius facinoris princeps auctor fuit, pseudo-episcopus quidam *Arnoldus Harris Matheu*, litteris tumoris plenis ad Nos datis, illud plane confirmare veritus non est. Qui quidem insuper Archiepiscopi Anglo-Catholici Londinensis titulum sibi arrogare non dubitavit.

Ad vos igitur, primum, Dilecti Filii, de quorum religiosa et devota erga Nos voluntate semper et illustria testimonia exceperimus, animum et sollicitudinem Nostram convertentes, vehementer hortamur in Domino ut ab eorum fraudibus et insidiis sedulo caveatis.

Dein vero, ne muneri Nostro deesse videamur, Decessorum Nostrorum exemplis inhaerentes, prae-fatam consecrationem illegitimatam, sacrilegam atque omnino contra huius Sanctae Sedis mandata Sacrorumque Canonum sanctionem factam edicimus.

Supra nominatos, demum, sacerdotes *Arnoldum Harris Mathew, Herbertum Ignatium Beale et Arthurum Guilelmum Howarth*, ceterosque omnes qui nefario huic criminis operam, consilium, consensum praebuerunt, auctoritate Omnipotentis Dei, excommunicamus, anathematizamus atque ab Ecclesiae communione segregatos ac prorsus schismaticos habendos et a Catholicis universis et praesertim a vobis vitandos esse praecipimus et solemniter declaramus.

Quam acrem quidem sed omnino necessariam medicinam adhibentes, vos pariter, Dilecti Filii, adhortamur ut fervidas preces vestras Nostris adiiciatis, Deum obsecrantibus ut hos infeliciter errantes ad Christi ovile et ad salutis portum misericorditer dignetur reducere.

Quod ut efficacius, Deo adiuvante, consequi possitis, Apostolicam benedictionem vobis ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI Februarii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

— Apostolicis litteris d. d. XXVII mens, Ianuarii MCMXI SSmus. Scotiae regni fidelibus concedere et largiri dignatus est, ut, Quadragesima exclusa, in Sabbatis quatuor anni temporum, et in iis Vigiliis, quae vel feriam sextam, vel alium abstinentiae diem immediate praecedant aut sequantur, carnibus vesci libere liciteque possint ac valeant; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

## EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

### SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

#### Ex Congregatione S. Officii (*Sectio de Indulgentiis*).

*De Absolutione seu Benedictione Papali Tertiaris impertienda.*

Quo facilius Tertiarii ex utroque sexu, cuiuscumque Ordinis, iis non exceptis qui vitam communem agunt, diebus statutis generalem Absolutionem seu Papalem Benedictionem recipere valeant, clementer S. D. N. Pius PP. X indulxit *in perpetuum*, ut, quoties ipsi ad hunc finem una simul convenerint, et Sacerdos, cuius est illa impertiri, quacumque ex causa, abfuerit, eamdem Absolutionem seu Benedictionem accipere possint a quolibet Sacerdote, sive saeculari, sive regulari, qui

ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus. (Ex decr. d. xv mens. Decembr. MCMX).

*De metallico numismate pro lubitu Fidelium sacris scapularibus ex panno suffiendo.*

Omnibus fidelibus, tam uni quam pluribus veri nominis atque a Sancta Sede probatis scapularibus (exceptis quae Tertiiorum Ordinum sunt propria), per regularem, ut aiunt, impositionem iam adscriptis aut in posterum adscribendis, licet posthac pro ipsis, sive uno, sive pluribus scapularibus ex panno, unicum numisma ex metallo seu ad collum seu aliter, decenter tamen, super propriam personam deferre, quo, servatis propriis cuiusque eorum legibus, favores omnes spirituales (*sabbatino*, quod dicunt, scapularis B. M. V. de Monte Carmelo *privilegio* non excepto) omnesque indulgentias singulis adnexas participari ac lucrari possint et valeant. Huius numismatis pars recta SSmi. D. N. I. C. suum sacratissimum Cor ostendentis; aversa, Bmae Virginis Mariae effigiem referre debet. Idem benedictum esse oportet tot distinctis benedictionibus quot sunt scapularia regulariter imposita, queis, pro lubitu potentium, suffici velit. Singulæ hæc, demum, benedictiones impertiri possunt *unico crucis signo*, vel in ipso adscriptionis actu, statim post absolutam regularem scapularis impositionem, vel etiam serius, pro potentium opportunitate, non interest an servato vel non diversarum adscriptionum ordine, nec quanto post temporis ab ipsis, a quovis Sacerdote, etiam ab adscribente distinto, qui respectiva scapularia benedicendi sive delegata facultate polleat, firmis ceteroquin primitivae facultatis limitibus, clausulis et conditionibus. (Ex decr. d. XVI mens. Decembr. MCMX).

*Declarationes.* — 1. Numismata a facultatem habentibus rite iam benedicta, etiam in posterum scapularium loco gestari poterunt, eo modo et sub iis conditionibus, quibus constituit factam esse potestatem. — 2. — Sacerdotes omnes, saeculares vel regulares, etiam conspicua fulgentes dignitate, ne amplius numismata sic benedicendi utantur facultate, quinquennio ab illa obtenta transacto. Poterunt interea, etiamsi scapularia respectiva benedicendi non polleant facultate, numismata ubilibet benedicere; ea tamen lege, ut sive quod ad statutas eorum attinet imagines, sive quod ceteras respicit conditions, praescriptionibus in supra relato Decreto contentis omnino se conforment. — 3. Qui porro subdelegandi praediti erant facultate, hac ipsa Decreti et Declarationum promulgatione, se illa noverint excidisse; satis enim per idem Decretum iam spirituali fidelium emolumento provisum est. (Die XVI mens. Decembr. MCMX).

#### Ex Congregatione de Religiosis.

*De Religiosis servitio militari adstrictis.*

I. In Ordinibus Regularibus, in quibus vota solemnia emittuntur, iuvenes, quos exemptos esse certo non con-

stet a servitio militari activo, scilicet ab eo servitio, quod ipsi primitus ad militiam vocati ad unum vel plures annos praestare debent, admitti nequeunt ad Sacros Ordines vel ad solemnem professionem, quounque non peregerint servitium militare et, hoc expleto, saltem per annum, iuxta infra dicenda, in votis simplicibus permanserint, servato quoad Laicos decreto *Sacrosancta Dei Ecclesia* die I Ianuarii MCMXI edito.

II. In institutis votorum simplicium iuvenes, de quibus in articulo praecedenti, ad vota dumtaxat temporaria admitti poterunt usque ad tempus militaris servitii; nec illis, dum militiae operam dant, professionem renovare liceat. A militari servitio dimissi cum fuerint, professionem iterum, saltem ad annum, emittent, antequam professionis perpetuae vinculo se obstringant.

III. Caveant autem iuvenes militiae servientes, ne sanctae vocationis donum amittant ac ea semper modestia et cautela conversentur, quae decet Religiosos viros. Quamobrem a locis et conventiculis suspectis abhorreant, a theatris, choreis aliisque spectaculis publicis abstineant; malorum commercium, lubricas conversationes, res a religione absonas, viros doctrinas suspectas profitentes, lectiones moribus aut fidei a S. Sedis dictatis contrarias ceteraque peccandi pericula evitent; ecclesias, sacramenta, quantum eis liceat, frequentare non omittant; circulos seu coetus catholicos ad animi recreationem et instructionem adeant.

IV. Ubicumque eorum statio ponatur, si ibi domus suae Religionis aut Instituti habeatur, eam frequentent et sub Superioris immediata vigilantia sint. — Si vero domus praedicta non adsit, vel eam commode frequentare nequeant, sacerdotem ab Episcopo designatum adeant, eius consiliis et consuetudine utantur, ut quando eamdem stationem deserere oporteat, testimonium in scriptis de observantia eorum omnium, quae in articulo praecedenti praescripta sunt, ab eodem accipere valent. Quodsi sacerdos ab Episcopo designatus non habeatur, ipsi sibi eligant prudentem sacerdotem, statim indicandum Superioribus suis, qui ab Ordinario de moribus, doctrina et prudentia eiusdem sibi notitias comparabunt. Praeterea epistolarum commercium instituant ac, quantum fieri potest, sedulo persequantur cum suo respectivo Superiore aliove religioso seu sodali sui Instituti ad id designato, quem certiores faciant de suae vitae ratione et conditione, de singulis mutationibus suae stationis et praesertim illi notificant nomen et domicilium illius sacerdotis, cuius consuetudine et directione utuntur, ut supra praescriptum est.

V. Superiores Generales aut Provinciales etiam locales, iuxta uniuscuiusque Instituti morem, per se vel delegatum sodalem (qui sacerdotali ordine sit insignitus in clericalibus Institutis) de vita, moribus et conversatione alumnorum, perdurante militari servitio, inquirere omnino teneantur, opera praecipue sacerdotis vel sacerdotum, de quibus supra, per secretas epistolulas, si opus sit, ut certiores fiant, an ii rectam fidei et mo-

rum viam servaverint, cautelas supra praescriptas observaverint et divinae vocationi se fideles praebuerint, graviter onerata eorum conscientia.

VI. Cum a militari servitio activo definitive dimissi fuerint, recto tramite ad suas quisque religiosas domus remeare teneatur, ibique, si certo constet de eorum bona conversatione, ut in articulo praecedenti dictum est, praemissis aliquot diebus sanctae recollectionis, qui in Institutis votorum simplicium addicti sunt, ad renovandam professionem temporariam admittantur; in Ordinibus vero Regularibus inter iuniores clericos seu professos, aut saltem in domo, ubi perfecta vigeat regularis observantia, sub speciali vigilancia et directione religiosi, pietate et prudentia commendabilis, qui in Institutis clericalibus sacerdos esse debet, collocentur. In eo statu integrum tempus (quod minus anno esse non poterit iuxta dicta in articulis I et II) ad tramitem Apostolicarum Praescriptionum et propriae Religiosae Familiae Constitutionum praemittendum votis solemnibus vel perpetuis, complere debent, ita tamen ut computetur quidem tempus in votis simplicibus vel temporaneis transactum a prima votorum emissione usque ad discessum a domo religiosa, servitii militaris causa; non vero quod militiae datum fuit.

VII. Eo tempore, studiis et regulari observantiae dent operam; Superiores autem immediati ac sodales iuniorum directioni praepositi eos diligentissime considerent, eorum mores, vitae fervorem, placita, doctrinas, perseverandi studium perscrutentur, ut de eis ante ultimam professionem maioribus Superioribus rationem sub fide iuramenti reddere valeant.

VIII. Si qui, perdurante militari servitio vel eo finito, antequam ad professionem solemnem aut perpetuam admittantur, dubia perseverantiae signa dederint, vel praescriptis cautelis militiae tempore non obtemperaverint, aut a morum vel fidei puritate deflexerint, a Superiore Generali de consensu suorum Consiliariorum seu Definitorum dimittantur, eorumque vota ipso dismissionis actu soluta habeantur. Quodsi ipsi iuvenes a votorum vinculo se relaxari desiderent, aut sponte petant, facultas fit Superioribus praeditis, tamquam Apostolicae Sedis delegatis, vota solvendi, si agatur de Institutis clericalibus: si vero res sit de Institutis laicorum, vota soluta censeantur per litteras Superiorum, quibus licentia eis fit ad saeculum redeundi.

IX. Hisce praescriptis teneantur etiam Ecclesiasticae Societates, quae, licet non utantur votis, neque solemnibus neque simplicibus, habent tamen simplices promissiones, quibus earum alumni ipsis Societatibus adstringuntur.

X. Si quid novi in hoc Decreto non praevisum, vel si quid dubii in ipsis intelligentia occurrerit, ad hanc S. Congregationem in singulis casibus recuratur.

(Ex Decr. *Inter reliquas* d. I mens. Ianuarii MCMXI).

*Quis dives? qui nihil cupiet. — Quis pauper? avarus.*  
BIAN.

## DIARIUM VATICANUM

(Mense Februario MCMXI).

## Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneri gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Baldeschi, Comes, eiusque familia; Stanislaus Medolago-Albani, Comes; Pastor docto, moderator Austriaci Instituti ad historica studia Romae provehenda; Maria ex Dueibus Salviati; De Borchgrave, dynasta; Grosoli-Pironi, Comes; Carmelus Aranjo, docto, novus administer cum omni potestate Columbianae Reipublicae apud Apostolicam Sedem; Christina ex Urbanis Principibus Giustiniani Bandini; Maria De Grego. io Sorrentino, Marchionissa; Schoenberg Roth Schoenberg, dynasta; Alafridus Brandillart, Catholici Instituti Parisiensis rector; Iosephus Figueroa Alcosta, Argentinae Reipublicae quondam praeses.

## Pontificiae electiones.

*Nominationes epis oporum.* — SS. D. N. Pius PP. X per decretum S. Congregationis Consistorialis elegit: r. d. Guilielmum Kloske, presbyterum archidioecesis Gnesnen. et Posnanien., canonicum in metropolitana ecclesia Gnesnensi, rectorem seminarii clericorum ac officiale in temporalibus Consistorii generalis Gnesnensis, in episcopum tit. ecclesiae Theodosiopolitanae; r. p. d. Ignatium Rieder, Salisburgensis archidioecesis, professorem ac doctorem in facultate theologica, antistitem urbanum, in episcopum tit. ecclesiae Surrensis et in Auxiliarem Eni. archiepiscopi Salisburgensis; r. d. Michaelm Faulhaber, dioecesis Herbipolensis, in sacra theologia doctorem et facultatis theologicae in Universitate Argentinensi professorem, in episcopum cathedralis ecclesiae Spirensis; r. p. d. Iosephum Schrembs, dioecesis Grandormensis ibique Vicarium Generalem, Praesulem Domesticum Sanctitatis Suae, in episcopum ecclesiae tit. Sophenensis et in Auxiliarem episcopi Grandormensis.

Brevi Apostolico r. d. Nicolaus Marconi, episcopus renuntiarius dioec. Pulaten., episcopus tit. dioecesis Theodosiopolitan. renunciatus est.

*Nominatio Praefecti Apostolici.* — R. p. Ildefonsus Lanslots e Congregatione Cassinensi Ordinis S. Benedicti Primaevae Observantiae, Praefectus Apostolicus noviter erectae Praefecturee Apostolicae de Transvaal Septentrionali creatur.

— Rr. Pp. Dd. Thomas Carr, archiepiscopus Melburnen.; Iacobus Corbett, episcopus Salien.; Petrus Berruti, episcopus Viglevanen.; Iosephus Capecci, episcopus Alexandrin. Statiellorun; Sebastianus Pifferi, archiepiscopus de Plata, inter episcopos Pontificio Solio adstantes adnumerantur.

— R. p. d. Alexander Bavona, archiepiscopus Pharsalen., Apostolicus Nuntius in Brasilia, ad eodem munere fungendum mittitur apud Austrorum Hungarorumque imperium.

## COLLOQUIA LATINA

Nox transacta <sup>(1)</sup>

GABRIEL. — Salvere iubeo sodales meos, te, Laurenti, et te Nazari.

LAURENTIUS. — Nos te vicissim. Ut vales? Va-  
liuistin? Nam te quattuor ipsos dies nunquam oculis usurpavimus.

(1) EX IACOBI PONTANI opere, cuius titulus *Progymnasmata latinitatis* pas-  
sim retractavit I. F.

G. — Paulo deterius, quam heri, et nudius ter-  
tius, quartus, quintus.

NAZARIUS. — Quamobrem?

G. — Propterea quod ista nocte quae praecessit proxima, haud placate dormivi.

L. — Male narras. Aliquo fragore nimirum ite-  
rum iterumque expergefactus.

G. — Fragor quidem nullus me perturbavit,  
sed...

N. — Sed quid?

G. — Mirum atque insolitum somniavi somnum.

N. — Quod somnum?

G. — Terriculamentorum plenissimum.

L. — *Somnia fallaci ludunt temeraria nocte  
Et pavidas mentes falsa timere iubent.*

G. — Non eo dico, quia nunc metuam: sane quidem novo metu fractus omnino, ac debilitatus cohorru, steteruntque comae, et vox faucibus haesit. Videbar enim - oblitus sum perpetrati piaculi - ad subsellia iudicum severissimorum raptari; inde condemnatus ad mortem duci. Iam carnifex romphaeum dstringebat, ut caput meum a cervicibus amputaret. Amabo, quid vos animi in illo omnium gravissimo praesentissimoque periculo haberetis?

L. — Ingenue dicam quod sentio. Ego qui vel muscas praetervolantes horreo, ante mortem ipsam morerer.

N. — Abeant somnia in malum cruciatum: nos vota Deo faciamus ut mala somniorum tenus, et bona quaeque vigilantibus nobis eveniant.

G. — Quid vero? Vos hac nocte quievistis ex sententia?

N. — Ab octava vespertina ad septimam matutinam iucundissime, et toto proflabam pectore somnum.

L. — O factum pulchre! *Macte nova virtute,  
puer; sic itur ad astra!* Ego ad intempestam noctem legi, donec me lucerna deseruit.

N. — Tu alter Demosthenes eris, ob discendi ardorem insolitum.

L. — Tibi insolitum et gregalibus tuis, qui libidinem somni habetis.

N. — Nos quieti noctem, labori diem impendimus, ad naturae praescriptum; cui repugnare quid est aliud - ut ait apud Ciceronem Cato - quam gigantum more cum diis bellare?

L. — Apage cum istac propugnatione ignaviae tuae. Nam hoc crede mihi, nunquam obtinebis, ut te somniculosum et laboris fugitatem ne iudicem.

N. — Quod lubet. Ideone aut ero qui non sum, aut non ero qui sum?

G. — Qui deinde, mi Laurenti, somnum inire potes, quum ita pervigiles?

L. — Coena terrestris est mihi; quocirca inter me et somnum perbene convenit: quum volo, me obtinet; quum nolo, me relinquit.

G. — Malim equidem tuas vigilias, quam huius rhoncos.

N. — Ecce autem secundum adversarium. Noli tu quoque, Gabriel, me ludos facere, quum hoc Laurentius affatim praestiterit, et in isto officio te anteverterit. Quod nisi desistitis, Magister mox aderit, quo disceptatore bellum utriusque indicam. Ibi cognoscetur, quantum vestris pervigilationibus consequuti sitis.

G. — Caveto ne istos tibi spiritus comprimamus.

N. — Vestras ego linguas ita occludam, ut de somno meo ne mussare quidem audeatis.

L. — Eris mihi magnus Apollo.

G. — Res ipsa iam erit testimonio. Audione advenientem quempiam? Praeceptor est, vere est, ipsis est.

## ANNALES

### Russorum inter ac Sinarum imperium discrimen.

Stuporem quemdam, neque timore expertem, apud omnes populos, discrimen suscitavit, quod Russorum inter ac Sinarum imperium, medio exacto mense, ortum est; siquidem quasi belli tuba insonuit, dum Europea pax immota feliciter manet. Russicum enim gubernium Sinenses violati foederis publice accusavit, quod, anno MDCCCLXXXI sanctum, certa privilegia in regionibus Kuldja et Tienchan Russiae concedebat. Sed res brevi composita: Sinarum enim administri, non minus sollemniter protestati sunt nunquam se foedus ipsum pervertere voluisse; facta in querelae fidem adducta praeter gubernii mentem atque militum finium custodiae positionum accidisse; remedia ad impediendum quominus renovarentur, eaque iuxta Russorum desiderium, pleraque consulta; denique ad suam voluntatem erga finitimum populum propensam magis magisque demonstrandam, sese promptos esse atque paratos ut foedus ipsum ad annum usque MCMXXI redintegraretur.

### Turcarum res.

Huiusmodi eventus unus fere dici potest proximis diebus memoria dignus. Restat vero ut de seditione in Turcici imperii regione Yemen, de qua in superiore numero mentionem fecimus, aliquid recolamus.

Rebelles, Imani, quem vocant, Iahia et Sceik Idriss ducibus, viis potiti sunt, quae ab Hodeida urbe ad interiorem regionis partem ducunt. Neque Turcico exercitu licuit omnino eas liberas iterum reddere; quamquam id necesse erit, si honorem et auctoritatem suam, quae aliter apud illas gentes concussa evadent, gubernium defendere atque affirmare voluerit.

## PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** regia Georgii V oratione novus legatorum coetus inauguratus; deque lege quae munera popularium oratorum et senatorum sive *Lords* ex novo constitutus disceptari coepit.

In **Borussia** de ritibus procedendi ad poenarum ius applicandum controversae disputationes habitae.

In **Bulgaria** rogatio legis agitata ad regni constitutionem ita inter alia reformandam, ut regali stirpi Saxonae Coburgensi imperium tueatur.

In **Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis** foedus cum Iaponia comprobatum.

In **Gallia**, bellicae rei administro Brun vita functo, et, ob favorem a se distractum, Briand eiusque collegis a munere recessentibus, novum administratorum collegium suffectum, praeside Monis senatore.

In **Graecia** novus publici coetus praeses electus Stratos, qui Venizelos parti favet.

In **Hungaria** communes Imperii acceptorum et expensarum rationes ad trutinam vocatae.

In **Italia** Senatus de sua reformatione late disputavit.

In **Rumania** comitia Carp, administratorum praefecto, favorabilia cesserunt.

In **Russia** leges latae de ferriviis per interiorem Siberiam deducendis, de scelerorum «extraditione,» nonnullaeque etiam de re publica administranda.

## PER ORBEM

Die I mens. Februarii MCMXI Jersey in urbe dynamitis acervus improviso casu incenditur opificesque quattuor supra decem circum laborantes misere concidit.

— d. II Iaderae supremum obit diem Nicolaus Vidovich, qui de Dalmatica sua civitate praeclera et egregia nunquam non sensit.

— d. IV Praetoriae vita fungitur Cronje, strenuus ille Boerorum dux, qui acriter cum Anglis de patriae suae libertate contendit.

— d. VI Constantinopoli regiae aedes, quibus a «Sublimi Porta» nomen, flammarum impetu graviter pessumdatur.

— d. VII Athenis opifices publicis curribus electride actis operam vacantes ex condicto ab opere recessunt ac tumultus excitant, quos militum vi sedare opus est.

— d. VIII Russicae ferriviae statio ad Czarkoie Selo incendio, quod dolo excitatum creditur, destruitur.

— d. IX Pechini, Sinarum imperii regio nomine

moderator, fanatico cuiusdam aulici furore impeditur ac vulneratur.

— d. xi gravissimi ex Mandchouria de peste illic saeviente nuncii afferuntur.

— d. xiii Romae in Adriani mausoleo, nunc Castro S. Angeli, historicum de tormentis bellicis museum inaugurator.

— d. xv Petrus, Serborum rex, Romam advenit.

— d. xviii Portus Caleensis in urbe decertationes fiunt inter Catholicos et Reipublicae fautores.

— d. xix in Piceno, in Tuscia et passim ad Ligures usque, terrae motus magnam incolis formidinem iniiciunt.

— d. xxi Lutetiae Parisiorum ex turri cui, ab auctore, Eiffel nomen, communicatio cum Canada per telegraphum filis expertem instituitur.

— d. xxii Lutetiae Parisiorum pariter, belluae rei administer Brun moritur.

— d. xxiv Monachii in Bavaria cursum vitae absolvit Franciscus Uhde, pictoriae artis magister peritissimus.

— d. xxv Berolini mortem occubuit Fridericus Spielhagen, philosophus et litteratus homo.

— d. xxviii Barii, Apulico in portu, atra procella fuit, pluresque tum onerariae tum piscatoriae naves undis submerguntur.

## LIBRORUM RECENSIO

*Aëroveshes* (vulgo *Areoplane*). Oda alcaica, auctore sac. ANGELO NARDIS, prof. in Seminario Aquilano.

Eleganter auctor et graphicè novum hoc describit humani ingenii inventum, quo ipsa re longe superatur quod olim Daedali fabula audaci phantasia confinxerat. Cernere tibi videris aligeram navem dum in aëra tollitur, dum caeli planitiem rapido secat volatu, dum sua mole suoque stridore attonitas terret aquilas. Describit etiam lugetque præcipites aëronautarum lapsus, qui tamen alias non deterrent, quominus Icaria itinera iterum iterumque tentare prosequantur.

*Nam quae tenacem propositi virum  
unquam retardant? Cedere nescius,  
per damna, per caedes, ab ipsa  
ducit opes animumque clade.*

Ab hoc miro invento, poëta mox ad alia transit aequa stupenda, quorum nostra aetas feracissima est, eorumque seriem concludit celeberrimo invento Marconiano.

Prosodium auctor, perinde ac linguam latinam, optime callet; quare inadvertentiae tantum tribendum est, quod in quarta stropha primam syllabam vocis *veloces* corripuerit. Videtur etiam, dum *aethera* memorat, hoc nomen fecisse neutrius generis: quod corrupta iam latinitas induxit. Tandem, in paenultima stropha, versus secundus claudicat.

Fr. X. R.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

*Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cipiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Card. ALFONSO CAPECELATRO. *Commemorazione di un Padre Filippino morto in fama di santità nel 1883.* — Romae edid. Desclée et Soc., 1911. (Ven. lib. 0,40).

ID. *Sapienza e carità.* Ricordi e consigli ai giovani cattolici in occasione del mio xxv anno di Cardinalato.

— Indidem. (Ven. lib. 0,30).

Mons. GEREMIA BONOMELLI. *L'obbedienza dei Cattolici alle Podestà terrene.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

ID. *Il Clero e la Società Moderna.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

ANGELUS NARDI. *Aëroveshes* (vulgo *Areoplane*) Ode. Aquilae, MCMXI.

## AENIGMATA

### I.

Terrigenas agito, mortem fero depopulorque,  
Pervigilans inhio, palleo, deficio.

### II.

In pratis errat totum; caput aufer, in aula.

F. X. B.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:**

LOLLIUS

SIVE DE PROVCTA LATINITATE

Aenigmata an. XIII, n. XII proposita his respondent:

1) *Sitis;* 2) *Is-is.*

Ea rite soluta miserunt:

Augustus Sriban, *Iassius.* — Petrus Tergestinus. — P. Prado, *Venetis.* — Max. Vronski, *Lobzow.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Ad. Kozłowski, *Petricovia.* — Ioan. Biava, *Bergomo.* — St. Kempa, *Agrodinia.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Fr. Baturewicz, *Zytoruria.* — F. Arnori; Stan. Pini, *Mediolano.* — Guil. Schenz, *Ratisbona.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — F. X. M., *Drepago.* — A. Renevey, *Estavayer-le-Lac.* — Iac. Costa, *Dumio.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Henr. Fani, *Florentia.* — Vine. Starace, *Neapol.* — Alex. Fasstusz, *Szatmar.* — Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia.* — Hern. Forgeot, *Nicæa ad Varum.* — Ant. Favézant, *Merato.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Hern. Pianelli, *Tergeste.* — Eug. Dolmar, *Neo Eboraco.* — F. Ortiz, *Morelia.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — F. Correa, *Emerita.* — Alf. Martinez, *Badeocio.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Al. Bonnin, *Aureliano.* — R. Richi, *Traianopolis.* — Alb. Kain, *Dublino.*

Sortitus est præmium:

LUDOVICUS DUBOIS,

ad quem missum est opus, cui titulus:

JOSEPHI SCOPA

CARMINA

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

# EUPLIUS

*Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.*

MAXIMUS.

Quem?

CALVISONIANUS.

Volusium!

MAXIMUS.

Gerrae! Altum petes!

Hic est senator, potentia praeditus,  
Et ipse validum Euplii praesidium...  
Et hunc curabo cadat ut in pelagum.  
Dabis quam tandem portionem praemii?

CALVISONIANUS.

Dabo? Petis quam?

MAXIMUS.

Haud mercator veni!

Dabis?

CALVISONIANUS.

Quam durus es!

MAXIMUS.

Fastidium generas.

Da verbum! tune quiescam in utrumque oculum.

CALVISONIANUS.

Quid es, tibi dabo libenter, meritus.

MAXIMUS.

Tempus teris nimis: iactas inania.  
Dic verbum clarum.

CALVISONIANUS.

Dimidium sufficit?

MAXIMUS.

Satis superque.

CALVISONIANUS.

Dimidium retine!

MAXIMUS.

Placet! Sed audiam rerum nunc ordinem.

CALVISONIANUS.

Accede propius, nemo ne nos audiat.

MAXIMUS.

Dic confidenter, tuus sum totus, loquere.

CALVISONIANUS.

Iste Volusius, iam multum tempus est  
Quum sit Christianus, merito timeo.  
Est ipse, sustinet qui dulce pauperes,  
Solet qui cunctos consolari miseris,  
Quos etiam cumulat omni dulcedine,  
Modo sint isti christianis moribus;  
Quod ita praemium sperant a Superis.  
Magnus hic opibus, pollet divitiis,  
Ut olim fuerant vix Romae consules.

MAXIMUS.

Agendum nunc quid?

CALVISONIANUS.

Exornare tragulam  
Iuvabit astu, ut incidat bellissimum.

MAXIMUS.

Quam vero possim?

CALVISONIANUS,

Petis? Hospitem simula,  
Domum peregrinus indutus quaerito,  
Mores observa, virosque quos visitet,  
Et si Christianos adeat homines.

MAXIMUS.

Sine me, videbis quam belle in tragulam  
Cadet. Sin? Indignus vocari Maximus!

CALVISONIANUS.

Sile! Nam longe Volusium video  
Ad nos!

MAXIMUS.

Peropportune!

CALVISONIANUS.

Simula gratiam.

MAXIMUS.

Amicitiam dic! Nemo scit melius  
Vultu, ore, labiis amicos perdere.

SCENA IV.

VOLUSIUS et reliqui.

CALVISONIANUS.

Salve, Senator! Gaudeo quod valeas!

MAXIMUS.

Salve, Volusi, Catanae praesidium.

VOLUSIUS.

Dii vos adiuvent! Decora patriae (1).

CALVISONIANUS.

Audisti? Quot populus te accipiat laudibus!  
Eius sine meas laudes adiungere;  
Quod ita ludos optimos ei pares,  
Nihil nec negligas magna diligentia,  
Ut ipse gaudeat ad desiderium.

MAXIMUS.

Nemo tam scite!

CALVISONIANUS.

Tam pulcre! Tam lepide!

MAXIMUS.

Fecit pro festis dedicatis Caesari.

CALVISONIANUS.

Dabit tibi gratias quoque Galerius.

MAXIMUS.

Queis honor siet decus per saeculum.

VOLUSIUS.

Eamus intro! Loquemur nos postea,  
Enim nunc primum sit indulgendum populo.  
Placent si ludi, gladiatores placent,  
Siqnamus ipsum ludere pro arbitrio (*introeunt*).

*(Ad proximum numerum).*

(1) Exaudiuntur plebis voces exclamantis: *Io Volusi!*